



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

8. De vi & effectu Promissorii juramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

vam ferre reum vel absolvendo vel condemnando, *d. l. Admonendi D. eod.* * 3. Ita tamen, quod sententia hujusmodi, licet in rem judicaram transiverit, rescindi possit prætextu novorum instrumentorum, modò per ea juramentum necessarium quod sententiæ latæ causam dedit falso præstitum fuisse, plenè & sine alterius adminiculo probetur, *d. l. Admonendi in princ.* Ratio est, quia tale juramentum non defertur ex pacto litigantium, sed officio Judicis, etiam invito adversario, adversus quem sententia lata est & qui petit eam rescindi. Pari modo talis sententia per novos testes, id est, non productos antea, rescindi potest, quia testes appellatione instrumentorum continentur, *l. 1. D. De fide instrument.*

4. Præterea supradictorum juramentorum ea est vis, quod ad rei judicatæ exemplum ex iis: Actori juranti Prætoria in factum actio acquiritur, ad consequendum id, quod sibi deberi juravit, *l. A. A. A. Cod. eod. §. Item si quis Insituit. De actionib.* Neque in hac actione quæritur, an debeat id, quod petitur, sed an juratum sit, quia ex juramento præstito deberi constat, *l. Nam posteaquam 9. §. 1. l. non erit §. dolo D. eod.* Nam sicut res judicata pro veniæ habetur, ita & juramentum, etsi falsò præstitum sit, pro veritate accipitur, cum habeat majorem auctoritatem, quam res judicata, *l. 2. D. eod.* Reo vero ex hujusmodi juramento v. g. si juraverit se non debere, quod petitur, non actio, sed exceptio acquiritur, *d. l. Nam posteaquam §. 1. ad actoris intentionem, etiam ante litis contestationem seu ingressum, perimendam, c. 1. De litis contestat. in 6.* Nisi talis exceptio iurandi altiore indaginem postularet nam tum litis postmodum subsequenti ingressum non impediret, *d. l. Nam posteaquam in princ.*

5. Et hæc quidem obtinent, quando delato vel relato prius ab adversario juramento, eo modo quod delatum vel relatum est actor vel reus continenti juravit, vel saltem delatum aut relatum in continenti suscepit; & post dilationem ad deliberandum, sibi ex justa causa concessam, illud præstitit, *l. Iurifurandum 34. in princ. D. eod.*

6. Neque ad hoc, ut supradicta locum habeant, refert, an delato vel relato semel juramento juratum sit, an verò ei, qui paratus erat jurare, remissum, *d. l. Nam posteaquam §. 1.*

quia hæc actio & exceptio non tam oritur ex jurejurando, quam ex conventionione; quæ non minus remissa, quam præstito juramento, locum habet. Nec rursus, & ante à Judice, an à parte, in judicio vel extra judicium, delatum sit *Glossa in l. 1. A. A. Cod. eod.* Quin & procuratoris, & advocati juramentum legitime præstitum, actori actionem & reo exceptionem parat.

7. Observandum autem hic, quod, quando causa expressa, ex qua, v. g. ex empro, sibi debitum asserit, actor jurat, non tantum in factum ex jurejurando oriatur actio, sed & utilis ex contractu, quem jurat, *l. Si duo §. si quis juravit D. eod.* Quando verò nulla causa expressa jurat, tunc sola actio in factum oritur. Exceptio, quod in rei vindicatione utraque actio oriatur, & in factum ex jurejurando, & utilis in rem, sive causam, unde dominium nactus est, expresserit, sive non *d. l. Nam posteaquam in fine.* Ratio diversitatis est inter actionem in personam & actionem in rem quod dominium non possit nobis nisi ex una causa competere: & proinde de ea sola causa juratum esse intelligitur, etiam si non fuerit expressa. At verò idem sæpius & ex pluribus causis potest nobis deberi, & ideo de nulla certa juratum intelligitur.

§. VIII.

De vi & effectu promissorii juramenti.

1. Inducit obligationem ad sui observationem.
2. Promissionem & contractum confirmat.
3. Juramentum quando dicatur validum & obligare ad sui observationem.
4. Quando confirmare contractum.
5. 6. 7. Discrimen inter hæc duo.

1. Juramenti Promissorii effectus inprimis est, inducere obligationem ad sui observationem, dummodò verà & serià atque absolute intentione sit emissum, & reliqua adhiat ad validitatem ejus requisita; licet etiam illud emittens ex eo obligari nolit: quia non magis in potestate est hominis, impedire, ne juramentum, verà & serià intentione jurandi præstitum, obliget, quam sit in ejus potestate, impedire exustionem domus vel stuppæ, posito, quod ei de facto ignem applicet, licet maxime nolit exuri. Nam sicut ex igne appposito sequitur necessariò exustio: ita ex juramento, verà

IBIDEM;